

EXTRACTUM RHEI.

Rhei indici radice, in taleolas minutas dissectæ, pars una

Aquæ destillatæ tepidæ partibus quattuor infunditur. Macerata per nycthemeron, sacculo linteo inclusa, preli ope exprimuntur. Residuo tres *Aquæ destillatæ* partes affunduntur et, per duodecim horas macerata, iterum exprimuntur. Liquores per chartam, subinde renovandam, colati, ad consistentiam massæ pilularis inspissantur.

⌘

EXTRACTUM STRAMONII.

Paratur e *Stramonii seminibus*, ut Extractum Aconiti spirituosum.

EXTRACTUM TARAXACI.

E *Taraxaci radice recenti* paratur, ut Extractum Absinthii.

EXTRACTUM TRIFOLII AQUATICI.

Paratur e *Trifolii aquatici foliis*, ut Extractum Absinthii.

EXTRACTUM VALERIANÆ.

Paratur e *Valerianæ minoris radice*, granditer pulverata, eodem modo, quo Extractum Aconiti spirituosum.

FARINA HORDEI PRÆPARATA.

Rec. *Hordei Farinæ* libras sex.

Immittuntur in sacculum linteum, ita colligandum, ut inter farinam et ligaturam nullum

sit spatium. Tum sacculus in aheni cupreo, stanno obducto et aquâ repleto, ita suspenditur, ut aheni parietes nusquam attingat. Coquitur deinde aqua per quattuordecim horas continuas, aheni aquâ semper repleto; quo facto massa globosa e sacco in patinam excutitur, et stratum ejus exterius, lubricum, cultri ope amovetur. Massa vero interior, modico calore siccata, conteritur et in vase clauso servatur.

FERRUM PULVERATUM.

Ferrum cusum, limando comminutum, in mortario ferreo in pulverem subtilissimum teritur, qui per linteum tenerrimum, ut ad Bolum præparatam præceptum est, a pulvere grandiori separatur.

Servatur in vase bene clauso.

FLAVEDO AURANTII.

Aurantii cortices in aquam fervidam immerguntur, donec mollescant; tum cultri ope ab albedine liberantur et, leni calore siccati, servantur.

FLAVEDO CITRI.

E *Citri corticibus*, ut Flavedo Aurantii, paranda est.

GELATINÆ.

Ad usum parantur.

GELATINA CARAGHEEN.

Gelatina Fuci crispi.

Rec. *Lichenis Caragheen* concisi drachmas tres, p. 3.
Aquæ destillatæ tantum,